

Esth. 1. v. 20. Eccles. 12. 6. Huntlaus hæc approbat c. 18. ubi ad au-
toritatem Pagnini l. 2. Gramm. Heb. cap. 3. & Junii l. 3. Gramma.
cap. 7. provocat, simul memb. 9. novum producens exem-
plum ex præced. 2. cap. Gen. v. 23. ubi fœm. אִשָּׁה cum masc. אִישׁ
construitur, quod etiam Cornelius à Lapide eumque secutus
Marsennus pag. 358. Anti Barb. Bibl. urget. Resp. 1. si hoc
Pontificiorum asylum in gyrum syllogisticum redigatur, e-
mergit hæc propositio Major: Quod in aliis locis script. con-
tingit, illud etiam in præsentis nostri dicto fieri debet, cujus
falsitatem qui non videret, talpâ cœcior esset, quod enim fœ-
mininum hic subsistere nequeat, docetur à Paulo, qui disertis
verbis semen illud ad Christum accommodat Gal. 3. vers. 16.
non vel ad Ecclesiam, ut Gordonus, vel ad Mariam ut alii volunt
2. Bellarm. sui fœdè est oblitus nam lib. 1. de Christo cap. 5. pag.
94. F. in hæc verba erumpit: Si licet personarum mutationes si-
ne causa fingere, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit.
Quæ autem eum h. l. cogit necessitas, ut verba generis mascu-
lini fœminino respondere dicat? 3. Producta exempla ma-
ximam iterum cum nostro loco fovent disconvenientiam.
In illis enim Unicum saltem habetur masculinum. Ast hic plu-
ra leguntur, ut supra audivimus: In illis de fœminis sermo-
nem spargi nemo negat: Ast hic de fœmina agi, nulli vene-
randorum Patrum in mentem venisset, nisi pixide Pandoræ
(vulgatæ versionis) fuissent, decepti. In illis omnes versio-
nis ad fœminas suam orationis complexum referunt; Ast
his codices Hebræi, Chaldæi & Græci constanter masculinum
repræsentant, uti partim audivimus, partim etiã adhuc audie-
mus. 4. In specie singula dicta adversariorum assumimus,
ne insufficientis responsionis notam nobis inurere pos-
sint. In cap. lib. 1. Ruth. v. 8. fontes veritatis ita fluunt:
וַעֲשֵׂה יְהוָה עִמָּכֶם חֶסֶד כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתֶם עִם הַמַּתִּים וְעַמִּי
Hic necessariò ponitur Pronomen masculinum עִשִׂיתֶם
pro fœminino עִשִׂיתֶן vel per simplicem enallagen; vel honoris gra-
tiã, ut virtus fœminarum majori laudum encomiò evehatur,
& sic aliquid virile ipsis assignetur. Quemadmodum enim

B

cap.